



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 14. Bruno Archiepiscopus Trevirensis a Papa recipitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

tulistis, eaque ad majorem monasterii quietem, & Religionis incrementum auctoritate Apostolica confirmari petitis. Hæc Bulla Sodoloci, vigesima tertia Decembris, anno millesimo centesimo decimo nono, data est. Conjicere vero licet, Constitutiones in ea contentas, illam celeberrimam esse chartam, de Charitate dictam, eodem anno millesimo centesimo decimo nono editam, in quam Cisterciensis Regiminis fundamenta relata sunt. Inter alia prohibetur, ne privilegia Instituto contraria concedantur; Abbates vero ad Capitulum generale, singulis annis celebrandum, commereare jubentur. Ceterum Ordo Cisterciensis omnium primo Capitula generalia instituit, cujus rei exemplum deinde omnes ceteri secuti sunt.

Sæcul. XII.
A. C. 1119.

Exord. Cisterc. p. 9.

§. XIV.

Bruno Archiepiscopus Trevirensis a Papa recipitur.

Callisto Papæ, Festum Natalis Domini Augustoduni celebranti, Bruno Archiepiscopus Trevirensis occurrit. Hic Præsul nunquam non Imperatori additissimus fuerat, olim etiam sub Regni exordia, id approbantibus Germaniæ Principibus, Henrici Tutor; sed Alberti Cancellarii, exinde Archiepiscopi Montisguntini, invidia offensus, Regis & Reipublicæ

Hist. Eccles. Tom. XVI. G g

Sæcul. XII.
A.C. 1119.

publicæ curam a se depositam Principibus tradiderat. Nihilominus cum de Alberto, qui postea ab irato Imperatore in vincula coniectus fuerat, liberando ageretur, Bruno, injuriæ immemor, vadem se Henrico præstitit, nunquam deinceps Albertum quidquam contra Imperatoris salutem moliturum esse. Tandem fatali schismate inter Imperium & Sacerdotium jura omnia confundente, singularis Brunonis Archiepiscopi sapientia eluxit, quippe Catholicis semper unitus, simul Imperatori integerrima fide semper servit, & concordia, demum inter Imperatorem & Pontificem restituta, præcipuus Conciliator extitit.

p. 248.

Hoc igitur anno, ex quo ad Archiepiscopatus fastigium evectus fuerat, decimo nono, Romam proficisci constituit, petiturus a Pontifice, ut privilegia olim Ecclesiæ suæ concessa confirmaret, & reprimeret molimina Alberti Moguntini, qui tanquam Sedis Apostolicæ Legatus aliquam sibi in Trevirensis jurisdictionem competere asserbat, quamvis Archiepiscopus Trevirensis ex antiqua possessione nemini nisi soli Papæ, aut Legato a *Late-
re*, id est, Roma missis, subisset. Præterea Bruno querebatur contra Stephanum, Episcopum Metensem, Callisti Papæ nepotem, cui Pallium, salva tamen Archiepiscopi Trevirensis, ejus Metro-
politæ,

Sæcul. XII.
A.C. 1119.

litæ, Jurisdictione, concesserat. Sed Stephanus, suprema avunculi sui Dignitate & favore elatus, Sedem suam Episcopalem in Metropolitanam erigi posse sperabat. Itaque Bruno, ut diximus, ad Papam, Augustoduni commorantem, perveniens, & humanissime exceptus, ibidem cum Pontifice Festa Natalitia Domini celebravit. Elapsis illis diebus, Papam Cluniacum comitantem secutus, ibidem Indulgentiam peccatorum suorum & confirmationem privilegiorum suæ Ecclesiæ, inprimis exemptionem ab auctoritate omnis Legati, excepto Legato a Latere, obtinuit. Hoc Decretum tertia Januarii anno millesimo centesimo vigesimo datum est.

§. XV.

Primatus Ecclesiæ Viennensis.

Callistus Papa Ecclesiam Viennensem quoque, in qua sederat, priusquam in Cathedra Romana collocaretur, singulari privilegio decorare constituit. Vienna jam diu Regni Burgundici Capit, & Archiepiscopus Viennensis ejusdem Regni Cancellarius erat, cui Rudolphus III. Rex anno millesimo vigesimo tertio illius urbis Comitatum donavit. Callistus vero Papa Ecclesiæ Viennensi Primatum in septem provincias contulit, data Bulla, ad Canonicos ejusdem

Marca de Prim. Lugd. n. 132. 133.

